



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Catechesis Pverilis

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1543

VD16 M 2628

Alia Quaestio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-33561

sabbati. Pröinde necessaria officia dilectionis anteferenda sunt ceremonie, sed ita ne ceremonia penitus aboleatur, Et officium illud dispensationem non abrogationem legis habeat, & ceremonia alio tempore conseruetur. Ita homines occupati rebus administrandis necessaria officia dilectionis anteferant ceremonijs. Magistratus cum propter ceremonias in aliquo necessario casu negligit officium, peccat. Et tamen ipse quoque alio tempore ceremoniam conseruet. Hec dijudicatio iam facilior est nobis, postquam ex Euan-gelio scimus aliquam concedi libertatem de die. Excusat Christus discipulos cum uellerent spicas, quia faciebant opus dilectionis, & tamen tale, quo non impediatur ministerium uerbi. Talia officia que non sunt mali exempli diebus festis, non sunt reprehendenda, modo ut ministerio publico suum honorem tribuamus.

ALIA QVAESTIO.

Quid sentiendum est de ordinationibus ecclesiasticis?

Regula tenenda est, que extat apud Esaiam, & à Christo repetita est.

Nullum opus esse cultum DEI, quod Deus non præcipit suo uerbo. Nam ne erremus
de uo-

de uoluntate Dei, & de ueris cultibus, Deus tantum illos cultus approbat, quos ipse suo uerbo instituit. Sicut Christus inquit, *E frustra colunt mandatis hominum.* Ac statim horrenda caligo offunditur hominum animis, cum obrepit opinio, ex consilijs humanis posse iudicari de uoluntate Dei, & institui cultus. Hoc initium fuit in mundo idolorum. Hic error depellit mentes à uera consolatione, quia abducit eas à uerbo Dei, & à uera doctrina fidei. Intelligunt autem impij cultum Dei, opus quod meretur condonationem peccatorum, & alia præmia diuinitus. Sed uera definitio est, cultum Dei esse opus Deo placens, cuius finis est proximus, ut Deus per id opus honore adficiatur.

Teneatur ergo regula, Ceremonias institutas ab hominibus non esse cultus Dei, nec mereri condonationem peccatorum, nec alia præmia. Porro ut constat fugienda esse idola, ita tales traditiones abijciendæ sunt, quæ proponuntur cum hac superstitione, quòd sint necessariae, aut quòd ritus illi sint cultus, aut placent DEVM, aut mereantur præmia, ut messis ubertatem, uictoriam, depulsionem morborum, aut similia. Constat enim ita creuisse idola, dum animi ignari doctrinæ de fide, confugientes ad ceremonias

C 4 *questi*

quæsiuerunt auxilium in uarijs periculis. **I**deo de-
 lius testatus se petere bonas tempestates, inuoca-
 uit Iouem tonantem. **A**lius testatus se petere ui-
 ctoriam, inuocauit **M**artem bellatorem, deinde
 posite statuæ, additi certi ritus, per quos puta-
 bant **D**eum placari. **S**ic initio creuit idolomania,
 quam postea imitatus est orbis in inuocatione
 sanctorum & alijs superstitionis traditionibus,
Monastica, ieiunijs, missarum applicatione. **D**e
 his superstitionibus omnibus seruanda est regu-
 la, **F**ugite idolatriam. **C**æterum sunt aliqui utiles
 ritus, quorum finis est politicus, uidelicet, quia
 efficiunt ordinem seu $\epsilon\upsilon\tau\alpha\chi\acute{\iota}\alpha\varsigma$ in hac communi
 uita. **E**st enim intellectus ordinis homini pro-
 prius, & actiones humane in hac uarietate eta-
 tum & negotiorum, postulant discrimina que-
 dam temporum, locorum & exercitiorum, ut in
 scholis distinctæ sunt classes, sunt gradus lectio-
 num. **I**ta ut sciat populus quando conueniendum
 sit ad audiendas conciones & ad usum sacramen-
 torum, aliqui dies nominatim his rebus destinati
 sunt. **H**ic ordo potest sine superstitione seruari.
Et quia seruit ministerio **E**uangelij, non est uio-
 landus, & qui uiolant, ita ut uel propter odium
Euangelij absint à concionibus, uel alios abdu-
 cant suo exemplo, grauitè peccant. **N**ec iuuen-
 tuti

tuti concedenda est licentia negligendi publicas ceremonias. Nam consuetudo illa adfert prophanitatem **E**thnicam. Ideo disciplinae causa sunt cogendi, ut intersint pub. ceremonijs, ut audiant conciones, ut his primis exercitijs adsuefiant ad reuerentiam ueræ religionis, & ad discendum **E**uangelium.

DE OBLATIONE.

Vulgares libelli recitant tria opera Sabbati, interesse ceremonijs publicis, precationem & oblationem. Cum enim conueniebat ecclesia, singuli offerebant aliquod munus. Ex hac collatione primum aliqua pars ministris dabatur. Reliqua distribuebatur pauperibus. Hunc morem fuisse & historie & ueteres **C**anones & multa uestigia testantur. Unde enim & appellationes quædam factæ uidentur, ut **M**issa, quod **H**ebreis significat tributum seu collationem. Et **ἀγάπη** significabat eleemosynas, & **ἀγάπη**. hoc nomine interdum pro ipsa **S**ynaxi abusi sunt, quia ibi eleemosynæ distribuebantur. Manauit autem exemplum à populo **I**sraël, Nam sacrificaturi afferebant uictimam, & partem dabant sacerdotibus. Ideoque scriptum est, **N**on apparebis uacuis coram me. **R**estè igitur numeretur oblatio inter opera sabbati, sed collationis finis

C 5 imme-